

Adamum admissi criminis vere poenituit; atque aeternam salutem consequutus est.

Constat primo ex cap. x. Sap. ubi dicitur: »haec (Sapientia) illum qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum cum solus esset creatus custodiuit. Et eduxit illum a delicto suo, et edidit illi virtutem continendi omnia.« Deinde Traditio Patrum fauet. Plurima enim argumenta producent Irenaeus (9), Tertullianus (10), Eusebius (11), Athanasius (12), Hilarius (13), Gregorius Naziancenus (14), et alii. E quibus vnum Augustinum adducimus loquentem, a quo Theologi omnes arma sumserunt. Ait enim (15): »et de illo quidem primo homine, patre generis humani, quod cum ibidem soluerit, Ecclesia fere tota consentit: quod eam non inutiliter credidisse credendum est, vnde cumque hoc traditum sit; etiam si Canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas; quamquam illud quod in libro Sapientiae scriptum est: haec illum qui primus factus est, Patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, et eduxit illum a delicto suo, et edidit ei virtutem continendi omnia, magis pro hac sententia, quam pro villo alio intellectu facere videtur.«

Addendum: in Litaniis quibus Clerus S. Mariae Maioris Romae vitur, hoc legi: *Sancte Adam, ora pro nobis.* Ergo siue Scripturarum auctoritas consulatur, siue traditio Patrum, siue Ecclesiae sententia, Adamum et verò resipuisse, et salutem suam aeternam consequutum esse, liquido constat, atque firmatur. Hoc et de Eva dictum volumus.

### CAPVT XVI.

*Dogmata firmata, et haeticorum contradicentium relatione, et argumentorum, quibus illa impetere solent, confutatione amplius firmantur.*

In enumerandis ergo haeticis, qui veritatibus superiori capite propugnatis contraire sus deque tentarunt, locum praecipuum Pelagianis

(9) In III. adu. Haer. cap. 34.

(10) Tertull. II. contr. Marc. cap. 25.

(11) Lib. IV. Hist. Eccl. cap. 29.

(12) Lib. de Pass. et Cruce, Dom.

(13) In Matth. Canone VIII.

(14) Orat. XVIII. de laudibus Cypriani.

(15) Epist. ad Euod. cxcix. cap. 3.

gjanis damus. Etenim nullus dubitat quam immane bellum ipsi excitarint. Nec solam vnam, aliamue ex his poenis, quae protoparentibus sunt inflictæ, veras esse peccati poenas negarunt; sed de omnibus omnino id praedicare ausi sunt. Itaque neque mortem corporis, neque ignorantiam et difficultatem veri dignoscendi praefereudique, nec concupiscentiam rebellem, pudorem nuditatis poenas criminis dicendas, sed naturæ ipsius vitium, passim blasfemari sunt, vt naturales eas omnes proclamarent. Verum nec solis Pelagianis id in mentem, calamumque subit; Sociniani siquidem eis sunt adiuncti, quorum columen, acutus ille Faustus cum Puccio Florentino contentiosum habuit congressum anno 1577. Contendebat autem ille, ita hominem naturam mortalem fuisse, vt natura ipsa morti subiectus fuerit, nec in creatione ipsa tali gratia donatus, qua potuisset perpetuo a morte liberari. Cuius quidem adserti prima pars, dogmati catholico optime conciliari poterat, et a competitorè admitti; neque enim conditio naturæ censetur primi hominis immortalitas, sed gratiæ beneficium, vti superius a nobis cum communi catholicorum consensione fuit demonstratum. Vnde quod haeticus ille magno verborum adparatu, magna quoque ingenii alacritate inculcabat frequentissime, corpus nempe primi hominis animale, dissolubile, et mortale natura sua esse vitro citroque ipsi dandum erat. At sic mortale extitisse, vt etiam morti subiectus fuerit, antequam Adamus crimen perpetraret, et vt Socinus ait, diuina gratia in creatione fuisse destitutum, nec conseruationi eius vitæ fuisse prouisum, antiquus Pelagianorum error est, quem profligare curabimus.

Atque ad nuditatis pudorem quod adinet, post veteres Pelagianos Ioannes Phereponus ille est, qui nouissime negauit; nimis tamen insolue, atque impudenter; vt mox videbimus.

Ipam vero postquam hos commemorauimus, de illis loquendum venit, qui in Adami resipiscentiam debacchati sunt. Omnium primus fuit Tatianus Sirus, vt Irenaeus scribit (1), et eiusdem Irenaei verbis Eusebius (2). Quæ sic in Graecis leguntur: *Adami autem saluti ex se ipso ingenioque suo contradictionem faciens.* Tatianum subsequuti sunt Encratitæ sic nuncupati quod nuptias non admitterent: vnde iidem cum Marcionitis, vt recte ibidem annotat Eusebius. Quibus si Seuerianos adiungimus neutiquam a vero aberrabimus: nam dicti sic a Seuero quodam Tatiani discipulo sunt, de quo

Ni-

(1) Lib. I. cap. 38. (2) Vbi supra.

Nicephorus loquitur (3). Errorem praeterea hunc aptasse videtur Rupertus Abbas Tuitiensis, qui sub initium saeculi xii. floruit, quem nonnulli benigne interpretari, ac purgare conantur, quasi vero aliorum, non suam sententiam exposuerit; tamen etsi Rupertus temeritatis notam inurit iis, qui temere quaestionem hanc Encratitis subscribentes, finierint; nihilo tamen minus postquam dubitationis suae causas adduxit, nulla pro Adamo producta concludit scribens: *saluatio eius, et a multis negatur libere, et a nullo satis firmiter defenditur.* At ignoscendum Ruperto, neque inter damnatos connumerandus. Eius enim aeuo, nondum plane explorata, et communiter recepta erat libri Sapientiae auctoritas; postquam tamen Synodus Tridentina Sess. iv. librum hunc inter Scripturas canonicas, firmo, ac solempni decreto retulit, eodemque gradu, et loco habendum esse, sanxit, quo illi qui Proto-canonicis dicuntur; non videtur Adami poenitentia, atque salus in dubitationem vocari absque crimine posse. Id autem Tatiano, eiusque Sectarioribus minime suffragatur; quoniam hi non accipiti quadam dubitatione prudenter versati sunt; sed temere in propterea damnationis sententiam pronuntiauerunt. Haec breui licet calamo, de nomine ac numero haereticorum, quibus stultitiae loco, dogmata nostra sunt. Momenta eorundem iam in examen vocamus, ac quid illa habeant succi videamus.

Ergo Socinus vt corporis mortem naturalem hominis poenam suadeat, totis, vt aiunt, viribus in id vnum incumbit, vt adductas a Catholicis scripturas in suum sensum trahat. Et primum quidem locum ex ii. Gen. exceptum, sic ille suscipit, vt dicat, Deum, postquam homo lapsus est, quid per mortem verbis illis intellexisset declarasse, dum Gen. iii. dixit: »quia audisti vocem vxoris tuae, et comedisti de ligno ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae: spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reueraris in terram de qua sumtus es, quia puluis es, et in puluerem reuerteris.« Quibus sane verbis mortem, non veluti poenam, sed tanquam terminum, ad quem vsque poena ipsa duratura sit, memorat Deus; neque eam homini infligi vt quid primaeuae hominis naturae contrarium; sed hominem morti subiectum, quasi rei, quae propria eius naturae erat, declarat. Addit et hoc Socinus: nos quo-

(1) Lib. iv. Hist. Eccl. cap. 4.

quoque; quum moriturum aliquem pronuntiamus, quum adfirmamus reum mortis, quum mortem alicui minitmur, vel vt mortem caueat monemus, de violenta, aut quae nobis videtur immatura morte, vel de aeterna ipsa infelici vita loquimur; numquam vero de ipsa morte naturali: hoc igitur sensu verba Geneseos intelligenda sunt.

Secundo: librum Sapientiae, quo dogma etiam confirmabatur, nullam hac in re auctoritatem habere ait; quin et verbis inde petitis violentam mortem, immaturamque significari, confidenter inculcat; ex eo praecipue, quod cap. i. Auctor libri hominem hortatur ad euitandam mortem; mors autem quae dominatur omnibus, minime vitari potest. Id et ostendere dicit, haec postrema capitis verba, *impii autem manibus et verbis accersierunt illam.* Nec aliud sequentibus capitibus comprobatur, quam impios mortem alteri inferre conantes, diabolum imitari, qui ab initio homicida fuit.

Tertio superaddit, Apostolum nequiquam de naturali morte accipiendum esse: etenim eo ipso in loco corpus Adami animale adpellat, dicens: *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale:* et vt demonstret, corpus animale esse, verba illa Geneseos ii. adfert. *Factus est primus homo in animam viuentem:* quae de Adami innocentis corpore dicta sunt. Animale autem corpus quale sit, Paulus ipse explicauerat, scilicet, vile, infirmum, corruptibile. Igitur ante peccatum primus homo corpus habuit vile, infirmum, corruptibile. Deinde ibi Paulus corpori animali quod ex Adam generatur, opponit corpus spiritale, quod per Christum viuificatur: si ergo istud incorruptibile, et immortale futurum est, illud quoque natura sua mortale erat, et corruptibile. Rursum: sententia Apostoli est, destruendum corpus nostrum esse, quod terreni simus, vt nempe immortalitate donemur: at primus homo, eodem Paulo adstante, de terra terrenus erat: destructioni ergo subiacebat eius corpus, quantumuis non peccasset.

Praeter haec tamen Socini cauilla, peruulgatae sunt et antiquae Pelagianorum captiunculae. Arguunt enim: ea verba: *quacumque die comederis morte morieris;* non corporis, sed animae minitabantur interitum: quandoquidem Adamus mortuus quoad corpus non est eadem die, qua de ligno comedit, sed annos vixit triginta et nongentos. Similiter Apostolus dum ait: *sicut enim in Adam*

om-

omnes moriuntur, ita et in Christo omnes uiuificabuntur, haud recte de morte corporis explicatur. Nam nec omnes per Christum uiuificantur, neque propterea omnes in Adam moriuntur: morti uero corporis omnes sunt subiecti. Addendum quod ratio offert, nimirum, naturalem homini mortem esse, quam pugnantibus elementis humanum corpus compactum fuerit: unde in corruptionem naturaliter tendit. Illud etiam, quod poterat Adamus aliquo ex inopinatis euentibus interire, uidelicet, molis alicuius subuersione obrui, aquis mergi, fulmine percuti.

His aliisque similis generis argumentationibus, mortem poenam non esse peccati euincere haeretici gloriantur.

Quae uero proferunt ut ignorantiam ac concupiscentiam naturales esse, per fucum ostendant? Adam et Eua, inquit, primo loco, dolos in suasoris interrogatione latentes ignorarunt, prius etiam quam in peccatum laberentur; ut euentus ipse demonstrat; etenim reapse a serpente sunt decepti.

Insuper aiunt: concupiscentiam inditam una cum natura fuisse ad prolis generationem ex eo consrat, quod pecudes etiam concupiscentia adliciantur, in quibus tamen culpa nulla est.

Praeterea: si mala illa creditur; et malae sint nuptiae, ac dammandae oportet; quae non nisi libidini indulgendo exercentur.

Deinde: integritate naturae stante, filiorum propagatio fuisset: quidni ergo et concupiscentia? Rursum: solus excessus culpandus in concupiscentia est; etenim nihil aliud illa censetur, quam naturalis appetitus.

Similiter: bona concupiscentia est, si peccati poena illa admittatur; siquidem hanc esse bonam illud suadet, quod malum non est peccatorem punire.

Postremo: fuisse ante praeuocationem libidinem, ex eo colligitur, quod concupiuit Eua ligni uetiti fructum, quem comedens praeuocatrix euasit: non igitur peccati poena concupiscentia est. Ita haec duo dogmata impugnant Pelagiani.

De cetero contra ultimam ex his poenis arguit Pherreponus (4): vel nullum motum fuisse in Eua, vel fuisse adeo minimum, ut ex eo nullus rubor inferretur. In cuius rei confirmationem illarum gentium morem adducit, quae nudaee incedunt, ut in Africa et America contingit. Alia allegat in auxilium; ita tamen impudica, ut vel

ip-

(4) Animadu. in cap. xiii. lib. 13. de Ciuit. Dei.

ipsius calamus censorium retrahere potuerint; scribit enim: «sed de his pluribus non agemus; ne in pudorem et ipsi peccemus». Nos autem ne ea in medium proferamus, et ipsorum conditio vetat, et quod optime nouerimus, nihil nisi putidum ac prorsus contemnendum excogitari potuisse ab homine, immoderato Augustini librorum censore. Haec obiter.

Audiamus modo quid opinantur illi, qui Adamum nec poenitentem, nec saluum uolunt. Salutem Adae, inquit, nec Scripturae testantur, nec traditio insuper, aut ratio comprobant. Non Scripturae: etenim Sapientiae liber de canone non est; nec deinde ex eo desumptus locus quidquam praesefert quod Adami poenitentiae faueat: imo quod legitur in illo nullum certum sensum offert; nempe: *et dedit illi uirtutem continendi omnia*, quasi homo aliquis sit, si unum Iesum Christum Dominum excipiamus, in quem quadrare hoc possit. Accedit quod multi codices legunt: *et eduxit illum de limo terrae*, non, *a delicto suo*. Denique: Pauli testimonium illae praesentant, quo nouus Adam ueteri opponitur; quemadmodum ergo in illo omnis salus, ita in ueteri omnis damnatio. Scripturae igitur Adami salutem non adtestantur. Sed nec traditio. Undenam enim haec haurienda est? Rupertus, ut ostensum fuit, aduersatur. Bernardus Adamum cecidisse in infernum, quia inobediens fuit, scribit (5). Et Gelasius Papa inter apochryphos adnumerat librum *de Poenitentia Adae* inscriptum.

Quid uero ratio? Deus qui non pepercit Angelis peccantibus, ueniam homini daret, inferiorem quidem conditione, gratia tamen aequalibus beneficiis ornatam? Ergo et traditio tandem et ratio Adami rescipiscentiam, salutemque oppugnant.

Quamquam uero haec multa sint, tamen non sunt eiusmodi, ut multam a nobis desiderent diligentiam, multumque laborem in soluendo. Fracta enim illa sunt, imbecilla, infirma, et paucis absoluenta. Hinc ad rem ipsam uenientes ad Socini deliramenta hoc pacto occurrimus. Ad primum: ut aduersarius ipse fatetur, sermonis hebraei proprietate considerata, aperte significari uerbis a Domino prolatis, scilicet, *morte morieris*, certissime morieris, vel necessitatem moriendi contrahes, ut adnotarunt alii; et hominem ante lapsus, licet mortalis natura esset, non tamen poenitus, et necessario morti obnoxium. Poena itaque moriendi necessitas est. Quin et

Tom. II.

Gg

abit

(5) In lib. de modo beate uiuendi.

abit homo natura in cineres, materiaeque, ex qua constat, dissolutio est consentanea, quum gratia solum immortalis sit. Verum ut huic naturae defectui remedium adhiberetur, Dominus plantauerat a principio in medio Paradisi vitae lignum. Hoc autem quum per praeruaricationem suam homo priuatus fuerit, mors inde subsequuta non naturae conditio, sed transgressionis poena nominanda est. Quae discurrendi ratio exemplo a Socino oblato fulcitur; nam mortem violentam vel per allimenti ablationem caussatam, naturalem nemo vnus dixerit.

Quod autem addit, eius prodit inscitiam, et a vero aberrantiam: ait enim, solam mortem quam immaturam et violentam appellamus, ob peccatum infligi, non mortem absolute: quam vero falsum hoc sit, inde constat, quod neque Adamo dictum fuerit morieris, aut veneno, aut ferro, aut alio violentae mortis genere, sed *morte morieris.*

Modo sane quum mortem praenunciamus, aut moriturum quempiam monemus, nisi pericula caueat, de morte violenta, vel insperata, saepius loquimur: aut ita loquimur postquam homo per culpam incurrit moriendi necessitatem; qua stante haud repugnamus accelerationem, ipsamque mortis turpitudinem peccati poenam agnoscere.

Quae secundo testimonio ex Sapientiae libro deprompto reponit, leuissima sunt. Principio quae istius hominis auctoritas est, ut ab eorum librorum Canonem determinandum declarandumque expectemus? Vniuersalis Ecclesiae iudicium ipsi sufficere debuisset, ut in errorem non induceretur. Deinde: Socino libentissime concedimus, libri Sapientiae auctorem vere de morte violenta loqui, atque aduersus impios, qui proximis suis illam machinantur. Hinc tamen non nisi ineptissime argumentatur. Hoc enim tantum licet subinferre, hominem scilicet, in corpore etiam a Deo inextremabilem conditum fuisse: per diabolum siquidem, quem imitantur illi, mors violenta in mundum intrauit, hominemque, a Deo integrum et incorruptum creatum, occidit.

Nec melioris notae sunt quae ad Paulli textum reponit: nam ut cum Augustino loquamur (6), «animale est hoc corpus sicut primi hominis fuit; sed hoc in ipso animalis genere est multo deterius, habet enim necessitatem moriendi, quam illud non habuit.» Itaque Adamo corpus animale erat, quia mori poterat, et etiam an-

(6) Lib. vi. de Gen. ad litt. cap. 16.

te lapsum escis vtebatur ad calidi et humidi reparationem, vnde vita pendet animalis: «sed ligno vitae a mortis necessitate prohibebatur, et ideo non spiritale, sed animale fuisse dubium non est» nequaquam tamen moriturum, nisi in Dei praedicentis, minantis, «que sententiam delinquendo corruisset,» Augustino docente (7). Insuper destruendum reuera hoc corpus corruptibile est, ut in gloria resurgat, propterea quod induimus terreni hominis imaginem propagatione, et praeruaricatione mortis, quam generatio nobis intulit: et corpus mortuum est propter peccatum, ut ipse Paulus dixit: hinc instar seminis mori debet, ut reuiuiscat. Quia tamen ita resurget, ut mori deinceps non possit, erit etiam per oppositionem ad Adamo corpus, quo poterat mori.

Haec Socini argutis reponere debuimus: nec difficilius iudicamus reliquis Pelagianorum cauillis occurrere. Vnde ad primum respondemus, mortem vtramque in comminatione illa intelligi quam Gen. ii. Dominus protulit: videlicet quae naturalis vitae est priuatio ob animae a corpore separationem; et eam quoque quae est vitae spiritualis priuatio ob animae a Deo separationem per peccatum; quae ipso transgressionis die primo homini contigit. Sed ea quae naturalis est principaliter venit intelligenda. Nec inficiabimur, eodem etiam momento, quo Adam peccauit, corporis mortem etiam in hominem coepisse debacchari: etenim ex tunc necessitas moriendi, et quotidianae corruptionis defectus, qui nihil aliud est, quam quaedam prolixitas mortis, ut Gregorius Papa scribit (8).

Ad secundum dicimus, hunc esse sensum verborum Apostoli, quod; «sicut nemo corpore animali, nisi in Adam moritur: ita nemo corpore spiritali, nisi in Christo viuificatur.» Ita Augustinus exponit (9). Deinde, Augustino ipso adnotante (10), non ibi agebat Apostolus de iustitia, quae contrariatur peccato, sed de corporis resurrectione, quae contraria est corporis morti; quod verba subsequenter dilucide declarant, nempe: *per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Quamuis autem iustitiae vitae plurimi sint destituti; omnes tamen mortui corporaliter resurgent, ut ibidem Apostolus contestatur. Omnes itaque corporis morti addicti sunt per Adamum, et ob istius transgressionem, velut vna cum ipso transgredientes.

Gg 2

Ad

(7) Lib. xii. de Ciuit. Dei cap. 23.

(8) Homil. xxvii. in Euang.

(9) Lib. xiii. de Ciuit. Dei cap. 25.

(10) In l. de peccat. mer. cap. 8.

Ad ratiocinationem primo loco adductam responsum ex his, quae tibi sunt dicta, paucis damus. Metuendum minime tunc fuisse vt Adam habens de ligno vitae stabilitatem, senectute grauaretur, et paullatim veterascendo perueniret ad mortem: quandoquidem plurimum annorum spatio obrita haud sunt in deserto filiorum Israel vestimenta, aut calcementa; neque Henochi, aut Eliae corpora hucusque contabuerunt senectute.

Quid simile pro posteriore ratiocinatione discurremus. Vt enim per gratiam interiorem primus homo nullis animi perturbationibus agitabatur, ita per gratiam externae protectionis nullis corporum laedebatur incommodis, vt apposite Augustinus (11).

Illud etiam quod ignorantiam in Adamo naturalem probare videtur, hoc modo soluendum est. Vere Euam a tentatore in fraudem fuisse deductam, postquam singulari animi insolentia diuinitatem adfectauit: versutus siquidem et artificiosus hostis, vt id exsequeretur, ad sapientiae fastigium eam adtolere curauit; atque sic inflatam elusit. Sunt qui de Adamo pariter opinentur. Malumus tamen dicere cum Augustino (12) sociali quadam necessitudine presumpsisse peccasse; vt Aaron etiam, et Salomon peccauerunt. Quorum prior obstrictus cessit populo, vt Idolum aureum conflaret, non vero consensit inductus; posterior autem fuit blanditiis foemineis ad sacrilegia compulsus, quamquam minime ille crederet, colenda Deorum simulacra esse. Verbis Augustini utimur. Itaque Adamum a serpente supplantatum negamus, erroris tamen laqueo implicatum adserimus, quatenus eum fefellit, quomodo fuerat iudicandum; forte quod commissum ab vxore veniale existimaret.

Nunc ea perscrutemur, quae de concupiscentia agunt. Primum autem nihil euincere colligitur, quod a rationalibus creaturis ad belluas ratione destitutas argumentum descendat. Quoniam ergo libido, quae in belluis est, non repugnat rationi, qua carent, mala illa non est. Contrarium de homine discurrendum. Accedit, tantam esse hominis excellentiam praec pecore, vt huius natura in homine vitium sit.

Secundum in Iulianum auctorem intorquetur. Quum enim nuptiae sint concupiscentiae remedium, vel ipso Iuliano teste, sequitur, illam esse quandam morbum, et languorem; nemine providente remedium sanitati. Ita Augustinus argumentatur (13). Addique ex eodem

(11) Lib. xiv. de Ciuit. Dei cap. 10.

(12) Ibidem cap. xi.

(13) Lib. iiii. de Nupt. et Concup. cap. 15.

dem illud potest (14); culpabilem neutiquam esse generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis est imputandus, has vero illud, quod non pertinet ad se, videlicet voluptatem carnalem, venia dignum propter se reddere.

Tertii solutionem ex Augustino quoque contra eundem Iulianum disserente accepimus (15). In eo, scilicet, stratu aut libidinem nullam futuram, aut ita voluntati subditam, vt numquam posset nolentem sollicitare; adeo vt absque cupiditate noxia genitalibus membris homo tunc vteretur, quomodo nunc manibus pedibusque vritur.

Ad quartum dicendum: non esse concupiscentiam naturalem appetitum, vt dicitur; sed addere illam ad appetitum inordinationem quandam, qua anteuertit rationem, eidemque repugnat: vnde semper in hac aliquid excessus reperitur.

Quintum nihil infert. Admitti enim poterit, bonam esse concupiscentiam, si ad Deum comparetur, peccatorem punientem; sicut admittimus lubentissime, caecitatem ex. gr. ipsamue mortem bonas esse, quatenus a Deo insiliente sunt; nihilominus et caecitas, et mors poena sunt, et concupiscentia pariter.

Vltimum verbo soluitur. Praecessit in Eua praecuaricationem mala voluntas, qua serpenti suasori crederet, et subsequuta est mala concupiscentia, qua cibo inhiaret illicito. Legatur Augustinus (16).

Quae vero Pheroponus erga pudorem nuditatis adducit soluta iamdiu ab Augustino erant contra Iulianum scribente. Neque enim aliis Censor hic telis vritur, quam fractis illis, ac prostratis, quibus homo Apostata olim vsus fuerat. Ergo repetenda S. Doctoris responsio his verbis expressa (17): »quid autem de motu foeminae, cuius et ipsam puduit, inaniter argumentandum putasti? Non vitium foeminae motum visibilem texit: sed cum in eisdem membris tale aliquid sentiret occultius, quale vir senserat, ambo tixerunt, quod alterutrum videndo in alterutrum commoti ambo senserunt, et vel vnusquisque sibi, vel alter alteri erubuerunt.

Quid si gentes nonnullae, vt superaddit ille, nudaee incedunt? Laudandum hoc in illis? Er ipsa quoque libido laudari oporteret. Si vero reprehendendum, inani se ipsum labore fregit eiusmodi adducens consuetudinem.

Ast hominem mittamus audacissimum; vt tandem ad Ruperrum per-

(14) Lib. i. cap. 14.

(15) Lib. vi. cap. 11.

(16) Lib. iiii. Operis imp. cap. 56.

(17) Lib. iiii. contr. Iulianum cap. 13.

perueniamus. Ergo fallitur iste dum Sapientiae librum a Canone Scripturarum expungit: in quo nostrae Vulgatae retinendam esse lectionem, et Codices omnes, et omnes item Patres nos edocent. Verba autem illa: *et dedit ei virtutem continendi omnia*, dominium tantum et terrenarum rerum demonstrant regimen: nam legitur in graeco: *omnibus dominari*. Apostolus deinde in adlato testimonio de morte et resurrectione corporum agit, vt alibi adnotabamus; quamquam et aliquam etiam oppositionem vnum inter alterumque Adamum agnoscamus; videlicet quod nouus gratiae, antiquus vero peccati sit auctor: tamen Paullus ipse Adam primum futuri formam haud dubitat adpellare ad Rom. scribens. Itaque contra Adami poenitentiam et salutem nullum Scriptura argumentum offert. Ex Patribus vero Rupertus vere contrariatur, vt dictum est; Bernardus autem non ita. Non enim ipsius opus ab eruditis creditur, quod de modo bene viuendi inscribitur. Idque colligunt, Bellarmino lucem praefereute (18), ex stylo et inscriptione ad sororem Virginem. Sic tamen quis vetat Bernardi verba ad solum reatum, meritumque damnationis referre? Insuper Gelasius librum eiusmodi damnans nullum admissae Adami poenitentiae praedudicium adfert: quemadmodum apocryphos libros declarans, de infantia, et de natiuitate Saluatoris inscriptos, nullam his quae praesecerunt fidem detrahit. Licet enim librorum frangatur auctoritas, nihil rerum gestarum historia patitur.

Denique nec ratio adiuncta in oppositam declinare partem nos cogit: scimus etenim sic factum esse; Deum scilicet, Angelis non pepercisse; Adamo pepercisse. Probabiliter opinamur, ideo fecisse, quoniam homo imbecillioris fuerit naturae, vt Gregorius docet; siue quia Dominus beneficiorum suorum iustissimo, rectissimoque iudicio decreuerat Angelos reseruare, hominem autem misericordiae suae.

Sed hora est vt hocce caput absoluatur. Quandoquidem et memoratis haereticis, nostra dogmata contradicentibus, et eorundem machinantibus solo aquatis, illud tandem adsequuti sumus, quod in votis erat, amplius scilicet, solidiusque dogmata firmata denuo firmare.

## SCHOLIION.

Sed quum a nobis praetermissum argumentum illud (nonnullis validissimum) fuerit, quo Adami poenitentia et salus plurimum vt-

(18) De Script. Eccles. ann. 1130.

gentur; sanctum quidem a traditione de eiusdem Protopatris sepultura eo ipso loco, in quo Dominus crucifixus est; suspecta apud non paucos nostra agendi ratio maneret, nisi iudicium nostrum vltro fateremur. Itaque vel hoc tantum, quod traditionem aliis probabilissimam omiserimus, consequitur nos eam relicere. Quae vero de causa? Non quod aliquam ex sententiis iis, quae inuicem digladiantur, improbabilem habeamus. Nouimus enim, et optime nouimus, habere earum quamlibet praeclarissimos propugnatores, praecipue quae partem sustinet affirmatiuam. Pro ea siquidem laudantur Cyprianus (19), Origenes (20), Epiphanius (21), Ioannes Chrysostomus (22), et alii; quos Melchioris Cani Vindicatores citant, et laudant (23): qui omnes Christum mortuum super Adami sepulchrum tradunt, vt scilicet saluaretur is diuini sanguinis aspersione.

At stant pro parte negante Hieronymus praepimis, quo maior nullus auctoritate est in Scripturarum intelligentia, et expositione, adserens (24), quod in Iesu filii Naue volumine legatur, Adamum sepultum iuxta Hebron, et Arbec; Caluariae autem locum dictum ita a capite decollatorum; Beda insuper, Paschasius, et S. Thomas (25), qui hanc ipsam de Caluariae loco nomenclaturam adprobant. Quin et Hieronymus non tantum sic opinatur, sed vterius traditionem illam fabulae loco habet, ridetque. Ait siquidem: «sin autem quisquam contendere voluerit, ideo ibi Dominum crucifixum, vt sanguis ipsius super Adae tumulum distilleret, interrogemus eum, quare et alii latrones in eodem loco crucifixi sint.» Et etiam scribit. «Audiui quendam exposuisse, *Caluariae locum in quo sepultus est Adam*, et ideo sic adpellatum, quia ibi primi hominis sit conditum caput. Fauorabilis interrogatio, et demulcens aures populi, nec tamen vera.» Hieronymum tamen non debuisse tantopere ridere Adami in loco Caluariae sepulturam, Canariensis Episcopus scripsit (26); violati in Hieronymum obsequii reus ob id a nonnullis tractatus, ab aliis acquirissime vindicatus.

Quae vtro ex his opinionibus, sit alteri praeferenda disputant alii. Nos interim ex earum oppositione colligimus, non satis aptam ad aliquod dogma confirmandum, traditionem istam esse, quae nec

(19) Tract. de Resurrect. Christi.

(20) Hom. xxxv. in Matth.

(21) Lib. i. ad. Haer.

(22) Hom. lxxxiv. in Ioann.

(23) Cap. v. Vindicat.

(24) In Com. in cap. xvi. Matth. Es in cap. 1. Epist. ad Ephes.

(25) Tert. Parte, quaest. xlvii. art. 10.

(26) Lib. xi. cap. 5.

vniuersis est, nec proinde stabilis ex omni parte: sed neque adeo cum Adamj resipiscentia et salute connexa, vt ea praeremissa, improbatæ illæ maneant. Haec nostra mens, hoc nostrum esto iudicium. Quamuis et id nos alias opinemur, nempe probabiliorem priorem ex duabus sententiis esse. Ad alia.

## CAPVT XVII.

*De eodem ipso Adami crimine in posteros transmissio, seu quatenus originale dicitur, denuo agitur.*

Adami culpa vniuersum genus humanum infectit.

Innumera ferme sunt, quae in huius veritatis probationem produci possent ex praecipuis Theologiae fontibus. Eligam praecipua. Atque a Scripturis sacris vtriusque foederis exordiens, primo loco ponimus testimonium illud Gen. xvii. vbi scriptum est: «masculus cuius praeputii caro circumcissa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.» Vtget illud Augustinus pluribus suorum operum locis, ex eoque colligit, paruulis, qui non fuissent ab originaria labe sacramento circumcissionis expiati, paratam aeternam mortem esse. At non Nouatores solum, ex hisque Ioannes Gerardus Vosius, et Hugo Grotius variis, eisdemque non ineptis exceptionibus testimonii huius efficacitatem infirmant, sed et Catholicorum Theologorum complures extra Sanctorum DD. Augustini et Thomae scholam sentientes, non eo institutam a Deo circumcissionem, vt culpae originariae remedium esset, sed vt ea tamquam signo populus Israel ab alienigenis discerneret: pueros praeterea qui absque circumcissionis signaculo tunc obiissent, in aeternum non fuisse tradendos interitum, modo eis alio Sacramento fidei, quod in lege naturae erat in vsu, opportuna fuisset Parentum cura subueant. Horum vero interpretationes data opera dispellit Theologus praestantissimus Ioan. Laurentius Berti (1), vt genuinum huius testimonii sensum, atque Augustini gloriam firmet, qui omnium primus ad confirmandam originarii criminis transfusionem illud aduersus Pelagianos non semel contulit. Ceterum (si nostrum hic, qualecumque illud tandem sit, iudicium, licet proferre) quid aduersus So-

(1) Lib. xxi. cap. 1. Prop. 1.

cinianos potissimum solide ex eo confici possit, non videmus; ab illo enim se expedire homines acutissimi nullo negotio possunt, atque reponere, dissentire et Romanae Communionis Theologos ipsos de legitimo huius testimonii sensu; nec illos quidem ab Ecclesia censura vlla perstringi, quum tamen qua verbo, qua editis libris palam constanterque propugnent, non praescriptam a Deo Israelitis circumcissionem ad abolendam originariam culpam, sed tantum ad internoscendos ab aliis quibuscumque gentibus Abrahae posteros: quod argumento est, Ecclesiam ipsam persuasum non habere, veritatem de qua agimus testimonio illo certe et perspicue contineri, aut inde necessario concludi.

Itaque ad alia testimonia confugimus. Iobi xiv. legitur: *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Quae verba cum superioribus conferens S. Thomas, ira disserit (2): «ex quo manifeste accipi potest, quod ex immunditia humani seminis, aliqua immunditia ad hominem ex semine conceptum perueniat, quod oportet intelligi de immunditia peccati, pro qua sola homo in iudicium deducitur. Praemittitur enim: *et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in iudicium?* Sic igitur aliquod peccatum est quod homo contrahit ab ipsa sui origine, quod originale dicitur.» Quam ergo futilis ac insana Fratrum Polonum et Socinianorum grege interpretatio, qui Iobum de puerulorum sordibus agere hoc loco sanciant, quibus fascias pannosque inquinant! Has siquidem nunticulae, ac ancillulae quotidie, facillimeque abstergunt, neque immundo semine contrahunt, dum proles concipitur. De spirituali itaque immunditia Iobo sermo est, quam solus Deus potest eluere, quamque omnes contrahunt, Quae vero spiritualis haec immunditia esse potest, quae animum cuiusque hominis nascentis infectit, nisi quam ex immundo semine, non sua culpa contrahit, sed aliena, quatenus vitiatæ radicis vitiatum surculus oritur, primique parentis crimen ad eum per originem deriuatur?

Accedit, quod Iobi verba, Septuaginta aliter ac Latinus interpretes, reddiderunt, legentes: *quis enim mundus erit a sorde? Nec vnus, si et vna dies vitae eius in terra.* Quibus quidem nihil expressius dici vniquam posset ad ostendendum, de sordibus illis Iobum loqui, quas auferre solus Deus potest; quaeque proinde ani-

Tom. II.

Hh

mi

(2) Lib. iv. cont. Gent. cap. 50.

mi sunt, non corporis. Quae insuper sordes si ab illo etiam, vt textus asserit, contrahuntur, cuius vna dies vitae eius in terra; uidens et illud est, ab omnibus has spirituales sordes contrahi nascendo, priusquam sua se voluntate vitare ac inficere quispiam possit; nec aliud illas esse, quam originale culpam, quam in omnes ab Adam carnaliter procreatos transire Catholica tenet Ecclesia. Hanc versionem sequitur Augustinus (3), ex eaque argumentatur.

Adfne Iobi testimonio est quod sumitur ex Psalmo l. vbi haec Regius Vates scribebat: *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Quod intelligi nequit, S. Thoma exponente (4), de peccato actuali, quum Dauid ex legitimo matrimonio conceptus, et natus dicatur. Oportet igitur vt hoc ad peccatum originale referatur. Diderat id Angelicus Dr. ex Augustino, qui haec Dauidis verba in Pelagianos validissime torquens, ait (5): »numquid Dauid de adulterio natus erat de Iesse viro iusto, et coniuge ipsius? »Quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?« Nihil ergo est cur Armenos haereticos moremur, qui ex his Dauidis verbis ansam effluendi arripuerunt, Dauidem ex scorto natum. Multo minus Socinianorum vlla habenda erit ratio, qui haec de peccatis a Dauide propria voluntate patris postquam regnum obtinuit, accipiunt. »Quae enim habere inuicem cohaerentiam possunt Vrae interfectio, ac alieni tori violatio cum Dauidis conceptione, nisi quatenus materno ex utero fomitem traxit peccati, quod et vitiae originis argumentum est? Neque tandem Pelagianorum effugium multis confutari petir. Etenim quod aiunt, neququam de originali crimine Dauidem fuisse loquutum, sed de peccatis ipsis personalibus et actualibus, quoniam se plurali numero conceptum in peccatis dicit ac iniquitatibus; Hebraici textus veritate, cui Chaldaica, Syriaca, et Arabica translationes concinunt, falsitatis euidenter conuincitur. Habent enim: *ecce in iniquitate formatus sum, et in peccato calefecit me mater mea.* Ast retineatur Latini interpretis lectio Vulgata. »Quid tum inde?« Neque hic dixit in iniquitate, vt Augustinus docet (6), vel peccato, cum et hoc recte dici possit; sed iniquitates et peccata dicere maluit, quia et in illo vno, quod et in omnibus homines pertransiit, atque tam magnum est, vt eo mutaretur,

(3) Lib. xx. de Ciuit. Dei cap. 16.

(4) Vbi supra.

(5) Exposit. in Psalm. l.

(6) In Enchirid. cap. 46.

»et conuerteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata.« Et Sanctus Thomas (7): »pluraliter dicitur in peccatis secundum illum morem diuinae Scripturae quo frequenter ponitur pluralis numerus pro singulari, vt Matth. ii: *defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri*« (licet ab Herode solo Infantulum Iesum ad necem quaesitum fuisse legamus, quod innumeris aliis confirmari posset exemplis): »vel quia in peccato originali virtualiter praexistunt omnia peccata actualia sicut in quodam principio, vnde est multiplex virtute:« (ratione videlicet fomitis, siue inordinatae concupiscentiae, e qua velut ex infecta radice omnia peccata oriuntur): »vel quia in peccato primi parentis, quod per originem traducitur fuerunt plures deformitates, scilicet superbiae, inobedientiae, gulae, et alia huiusmodi:« vel quia multae partes animae inficiuntur per peccatum originale.«

Locupletoria tamen multo sunt, et ad huius veritatis confirmationem multo plus habent momenti, noui foederis testimonia. Tritum vsu Theologorum est, quod ad Rom. v. Paullus profert: »per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.« Et in i. ad Corinth. cap. xv. »Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes viuificantur.« Quam vero praeclare, ac solide Augustinus verbis his Apostoli aduersus Pelagianos ad mortem vsque decernauit; quam etiam luculenter eadem excusserit; quam denique valide omnia eis effugia ad elabendum praecluserit, breuitatis studio dicere recusamus. At S. Thomae fidelissimi eius discipuli mente intellecta, Augustinum ipsum, contractum quidem, intelligemus. Ita autem Angelicus Doctor adductum versat testimonium, et vanissimas Pelagianorum exceptiones elidit (8): »hoc etiam apparet expresse, inquit, ex Apostolo ad Rom. v. *Sicut per vnum hominem cet.* Non potest autem dici, quod per vnum hominem peccatum in mundum intrauit per modum imitationis, quia sic peccatum non peruenisset nisi ad eos, qui peccando primum hominem imitantur: et quum mors per peccatum in mundum intrauerit, non perueniret mors nisi ad eos, qui peccant in similitudinem primi hominis peccantis: sed ad hoc exclu-

Hh 2

»den-

(7) Prima Secundae, quaest. lxxxii. (8) Lib. iv. cont. Gent. cap. 50. art. 2. ad 1.



«dendum Apostolus subdit, quod regnauit mors ab Adam vsque ad  
 «Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem prae-  
 «uationationis Adae. Non ergo intellexit Apostolus, quod peccatum  
 «per vnum hominem intrauit in mundum, per modum imitationis,  
 «sed per modum originis. Praeterea, si tantum secundum imitatio-  
 «nem Apostolus loqueretur de introitu peccati in mundum, dixisset  
 «set potius, per Diabolum peccatum intrasse in mundum, quam  
 «per vnum hominem, sicut expresse dicitur Sap. II: *inuidia Dia-*  
*«boli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum*  
 «qui sunt ex parte illius. «; Quam ergo felici euentu S. Doctor quod  
 volebat effecit, nempe Pelagianos ipsis Apostoli verbis iugulare!

Verum qui in Pelagianis extinctus fuerat error, primus inter No-  
 uatores recoxit Zuinglius; aptius quid, et solidius adinuenisse, quo  
 ab hoc permoesto testimonio se expediret gloriabundus. Reponit si-  
 quidem, Paullum abuti peccati nomine, nec designare aliquid, quod  
 proprie et veri nominis peccatum sit, sed figurate et metaphorice;  
 nam et sacrificia pro peccatis in sacris litteris peccata dicuntur, et  
 Paullus ipse legem membrorum et carnis, quae legi spiritus aduer-  
 satur, siue concupiscentiam, peccatum quandoque adpellat, quae  
 tamen peccati effectus solum, et causa est. Addit insuper, quasi  
 huic primo suo responso minus fidens, peccatum quod Apostolus  
 ait, per vnum hominem in mundum intrasse, non originale esse,  
 quod per originem deriuari a *Romanensibus* (sic Catholicos Theo-  
 logos vocat) dicitur; sed ipsum esse personale Adami delictum, nec  
 aliud ab Apostolo significatum, quam, peccante primum Adamo,  
 peccatum in mundum intrasse, seu in mundo esse coepisse, quod  
 prius non erat: nam erat Adamus mundi huius pars: ad posteros  
 vero, superaddit, peccatum illud transit, quoniam Patris exem-  
 plum sectati illi sunt.

Sed vtraque haec Zuinglii interpretatio, et ab Apostoli mente,  
 et a recta ratione etiam quam longe abhorret. Itaque non inficiabi-  
 mur, causas peccati, effectus similiter et poenas in sacris litteris  
 per methonimiam peccatum quandoque dici: diffitemur tamen, pec-  
 cati causas, effectus, et supplicia peccare aliquem, peccatoremque  
 constitui. At Apostolus non tantum dicit, peccatum in hunc mun-  
 dum intrasse, sed et omnes in eo peccasse, omnes per Adae ino-  
 bedientiam peccatores constitui, sicut per Christi obedientiam iusti  
 constituuntur multi, omnes scilicet, qui per Christum spiritu re-  
 na-

nascuntur: sicut ergo per Christi obedientiam vere iusti consti-  
 tuuntur quotquot in Christo regenerantur; ita per Adami inobe-  
 dientiam vere constituuntur peccatores quotquot ab eo carnis origi-  
 nem ducunt.

Praeterea: inepte nimis, falso quoque Zuinglius loquitur est.  
 Equidem si peccati nomine mors vere intelligenda veniret hic foret  
 verborum Paulli sensus. *Per vnum hominem peccatum*, nempe mors,  
*intrauit in mundum; et per peccatum*, mortem videlicet, *mors*.  
 Belle quidem. Vna morte contentus Zuinglius non est, conaturque  
 plures inducere, nempe mortem per mortem. Adeo insanire, ac de-  
 lirare eidem placet, vt et Paullum secum velit ineptire.

Sed et illud maxime impium ac insanum, quod addit, peccati  
 nomine pronitatem ad peccandum eo loco ab Apostolo designari; ita  
 tamen vt haec Paulli fuerit mens, haec sit intelligentia: *per vnum*  
*hominem peccatum*, id est, pronitas ad peccandum intrauit in mun-  
 dum, *et per peccatum*, id est, pronitatem ad peccandum, *mors*.  
 Licet enim hoc vltro fateamur, per vnum hominem pronitatem ad  
 peccandum, siue inordinatae concupiscentiae fomitem in mundum  
 intrasse; negamus tamen constanter, per vnam hanc ad peccandum  
 pronitatem mortem intrasse, ac in omnes homines, vt loquitur Apo-  
 stolus, pertransisse. Quandoquidem hoc, quum et ab ipsa humana  
 iustitia alienum sit, a Dei iustitia abhorret quammoxime; videlicet  
 ob solam ad recte agendum, vel peccatum procliuatatem quem-  
 piam praemio, vel poena adfici. Num Deus Gen. II. mortem homi-  
 ni comminatus est, si ad vescendum ligno vetito pronus esset,  
 an si ex eo quacumque die comederet? Num morte eum puniuit,  
 quod ad esum interdictum fuerit procliuis, an quod diuinam iussio-  
 nem posthabuerit reapse, ac violarit? Quae ergo iustitia Dei foret,  
 si innumeri Adami posterius, omnis omnino actualis peccati exper-  
 tes, propter hanc ad peccandum pronitatem, quae in nullum actum  
 erupit, sed nec erumpere potest, quoniam per actatatem non liceat,  
 morte intercipiantur, quae primo parenti non nisi post admissum  
 crimen fuit inflicta?

§ An autem solidius quid et rationabilius responsione altera ad-  
 tulit? Si per hominem peccatum in hunc mundum intrauit, quia  
 Adamus delinquens, in mundum, cuius ipse erat pars, peccatum  
 intulit, vt ille loquitur; iam non Adamo, sed Diabolo peccatum  
 tribuendum ab Apostolo fuerat: ante Adamum enim Diabolum pec-

cavit, primusque aditum in mundum aperuit. Sed hominem mita-  
mus insanum, delirum, in Paullum contumeliosum, ac in Deum  
ipsum impiissimum. Nam et in ipsum vrgenda nobis Augustinus of-  
fert, quae saepe saepius in Pelagianos inculcauit, quibusque illorum  
arma fregit.

Est pro eadem veritate firmanda et illud insigne eiusdem Apo-  
stoli testimonium, quod ad Romanos ipsos scribens cap. iii. expres-  
serat, nimirum: »omnes peccauerunt, et egent gloria Dei: iusti-  
»ficati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Chri-  
»sto Iesu, quem proposuit Deus propitiorem per fidem in san-  
»guine ipsius.« Ex quo quidem Paulli testimonio haec eruitur de-  
monstratio: quia omnes peccauerunt, egentque gloria Dei, Chri-  
stum Iesum Deus propitiorem proposuit, vt iustificentur homines  
per gratiam ipsius, per redemptionem a Christo peractam: propo-  
suisse Deum propitiorem pro omnibus omnino hominibus Chri-  
stum, ab hoc vero omnes omnino homines redemptos, tam est in  
Paullo exploratum, vt caecus sponte sit, qui veritatem ab eo saepe  
inculcatam non videat: omnes ergo homines peccauerunt, ege-  
bantque gloria Dei, id est, iustificatione, vt explicat S. Thomas  
in glossa super hunc ipsum locum Paulli (9). Peccauerunt ergo et  
infantes, et peccati serui erant; nam et hos a seruitute peccati Chri-  
stus redemit. Quum ergo non potuerint ipsi propria se voluntate  
peccati seruituti subicere; consequitur necessario, primi parentis  
culpa in eam peccati seruitutem, a qua per Christum redempti sunt,  
traditos fuisse.

Huic affine, ac ferme genuinum est, quod Paullus idem ii. ad  
Corinth. habet, scilicet: »caritas enim Christi vrget nos: aestiman-  
»tes hoc; quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes  
»mortui sunt.« Quibus verbis Augustinus Iulianum vehementer pre-  
mit, et ad angustias redigit (10). Similiter et pro eadem veritate  
facit, quod Ioannis iii. legitur; nempe: *nisi quis renatus fuerit de-  
nuo, non potest videre regnum Dei*, necessitatem baptismatis etiam  
pro paruulis statuens. At nemo baptizatur nisi vt eidem peccata re-  
mittantur: habent igitur et paruuli peccatum aliquod delendum.

Tandem decretorium Caluino ipsi visum illud est, quod ad  
Ephes. ii. idem Apostolus scribit: *eram*, inquit, *natura filii irae,*  
*sicut et ceteri.* Sic enim locum hunc haereticus ille accipit, vt il-  
lum

(9) Lect. iii. in cap. 3. Epist. ad Rom. (10) Lib. vi. capp. 4. et 9.

lum esse dicat, »aduersus Pelagianos, eosque omnes, qui pecca-  
»tum originale negant, insignem et iniuctum. Nam quod natura-  
»liter inest omnibus, id certe originale: naturaliter vero nos omnes  
»damnationi obnoxios docet: ergo peccatum in nobis haeret; quia  
»Deus innocentes non punit.« Haec Caluinus (11). Eadem ferme  
habent Theodorus Beza, alique e Nouatorum classe.

Arqui Iulianus cauillatur, nihil hoc textu Paulli effici posse,  
quod graeca vox, quam Interpres Latinus reddidit *natura*, flexi-  
loqua sit, et significare perinde possit *natura*, ac *prorsus*, et *omni-  
no*. Ei tamen vetustissimorum quorumcumque codicum fidem Au-  
gustinus obiicit, qui omnes habebant *natura*, non *prorsus*: quo  
vno argumento ipsius os obturat.

Iam vero Scripturarum fidem postquam consulimus, Patrum  
scripta nos vocant: quae si singulatim euoluenda forent, aut ex il-  
lis ea exhaurienda omnia quae ad rem nostram facere viderentur,  
dies nos deficeret. Ergo vnam aut alteram ex vtriusque Ecclesiae Pa-  
tribus sententiam hic transcribemus. Et ex Graecis quidem Martyr  
Ignatius peccatum hoc adpellat (12), *impietatem et praeuaticationem  
antiquam*. Dionysius vero Areopagita *exitialem mortem esse ab  
Adae peccato*, scribit (13). Iustinus et ille Martyr adserit (14), *hu-  
manum genus per Adam in mortem seductionemque serpentis con-  
cidisse*. Nazianenus similiter scribit (15): *nos ab initio per pecca-  
tum lapsi sumus*. Et alio in loco (16): »omnes, ait, qui Adamo  
»participauimus, atque a serpente in fraudem inducti sumus per  
»peccatum mortui, ac per coelestem Adamum salutis restituti, at-  
»que a ligno vitae, vnde excideramus, per ignominiae lignum re-  
»ducti sumus.« Habent similia Basilii (17), Athanasii (18), alii.

Quid autem Chrysostomus? Contendunt Erasmus, Dalleus, Sta-  
pulenſis, ac huius furfuris alii, S. Doctorem adseruisse tantum, Ada-  
mi peccato corpora nostra reddita mortalia fuisse, nihil vero da-  
mi animabus illatum. Falluntur tamen egregie; vt verba illius,  
sententiae declarant. Nam sic ille loquutus fuit. »Quando (19) enim  
»Adam peccauit illud graue peccatum, et omne genus humanum  
»in commune damnauit; de moerore poenas luebat, « cet. Item (20),  
»quum

(11) In Comment. in hunc locum.

(12) In Epist. ad Trallianos.

(13) Cap. iii. Eccl. Hierarch.

(14) In Dialogo cum Tryphon.

(15) Orat. ii. in Pasch.

(16) Orat. ad Arianos xxv.

(17) In Hom. i. de Ierunio.

(18) Orat. ii. contr. Arianos.

(19) Ad Olympiam.

(20) Hom. x. ad Rom.

» quum dixerit tibi Iudaeus : quomodo vnus virtute mundus saluatus est? possis et dicere : quomodo et vno inobediente Adam mundus damnatus est?« Nihil expressius desiderandum erat : profert nihilominus alia, quibus non solam mortem ob Adami praecauaricationem in nos peruadere doceat, sed etiam illuuiem praecuratum, ad quam comprimendam maiora nobis per Christum auxilia data sunt. Haec sunt illius verba (21) : » vna cum morte magnum etiam affectuum veluti examen introierat. Itaque corpus non valde agile erat, ad eum cursum, qui ad virtutem fertur; neque enim spiritus aderat, qui opem deferret; neque baptisma, quod mortificare posset.« Repetit eadem aliis in locis (22).

Ex Latinis deinde Patribus Tertullianus haec habet (23) : » omnis anima vsque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur : tantu diu immunda, quandiu recenseatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam suam ex carnis societate.« Similiter (24) : » homo damnatur in mortem ob vnus arbusculae delibationem, et exinde prosiliunt delicta cum poenis, et pereunt iam omnes qui paradisi nullum cespitem nouerunt.« Item Cyprianus (25) : » infans qui recens est natus, nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima natiuitate contraxit. Qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facillius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.« Ambrosius deinde (26) : » omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente Dauid, *ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.*« Hieronymus tandem (ne omnes proferamus) haec habet (27) : » vnusquisque nostrum cum Adam de paradiso cecidit, et in huius mundi captiuitate versatur.« Et iterum (28) : » maior aetas incipit, et vsque ad minorem peruenit; nullus enim absque peccato, nec si vnus quidem diei fuerit vita eius, et innumerabiles anni vitae illius. Si enim stellae mundae non sunt in conspectu Dei, quanto magis vermis, et putredo, et ille, qui peccato offendens Adam tenentur obnoxii?« Augustinum hic et Thomam loquentes adduceremus, nisi superuacaneum crederemus : quandoquidem quacnam illorum fuerit sententia, aptius : quam fe-

(21) Hom. xi. ad Rom.  
 (22) Item Hom. xii. et xiii.  
 (23) De Anima cap. xl.  
 (24) In i. adu. Marcionem.

(25) Epist. ad Filium.  
 (26) Lib. i. de Poenit. cap. 2.  
 (27) In cap. ii. Michae.  
 (28) In cap. iv. Ionae.

li-

lici euentu dogma istiusmodi propugnauerint, abunde, ni fallor, antea demonstratum fuit.

Patrum auctoritati, seu traditioni accedunt, quum Sanctorum Conciliorum decreta, tum Summorum Pontificum definitiones. Equidem originale peccatum negantes damnauit Diospolitana, seu Palaestina Synodus quatuordecim Episcoporum : posthaec Concilium Mileuitanum sexaginta Episcoporum, et Carthaginense, habita anno cdxv. Deinde Concilium Africae plenarium anno cdxviii. celebratum : etiam Ephesinum Oecumenicum aduersus Nestorium congregatum anno cdxviii. canone iv. quo Coelestii doctrinam proscripsit. Idem praestitit Synodus Arausiana canone ii. anno ioviii. Tandem veritatem totidem consecratam erroris repetitis damnationibus Sacrosancta Tridentina Synodus denno consecrauit Sessione v.

Extant praeterea Innocentii Papae litterae aduersus Pelagianos : rescriptum item Zosimi ad Concilium Africanum quod in Epistola ad Gallos Coelestinus commemorat : epistola quoque Magni Leonis, vbi apertissime censet, nasci vnumquemque hominem originali vulnere sauciatum, et reum illum in Adami peccato teneri quoadusque baptismatis lauacro mundetur. Extant his consimiles definitiones Gregorii Magni, aliorumque.

Atque his omnibus suffragatur denique ratio : prima ducitur ex antiquissima Ecclesiae consuetudine, infantulos, maxime si mortis periculum immineat, sacramento regenerationis tingendi. Vtitur hac ratione S. Thomas, eamque egregie instruit contra Gentes (29). Profecto nisi in paruulis qui baptizantur, labes aliqua spiritualis per originem tracta haereat, non vana solum, sed et falsa sit oportet baptizandi forma verbis ipsis Euangelicis consecrata. Quid enim est baptizare, nisi ablueri, atque mundare? Ergo quum sua infantuli se voluntate polluere nondum potuerint, a quibus purgantur, sordes per originem acceperunt.

Secunda ratio ex beneficio redemptionis elicitur. Negare etenim Christianus nequit, Christum vniuersalem humani generis Seruatorem ac Redemptorem esse; non tantum adultorum, sed et infantium, dicente Apostolo i. ad Timoth. ii. » Vnus Deus, vnus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.« At si nulla infantulis culpae labes insit, falso hoc Paullus pronuntiaret. Nam, vt non redimitur nisi seruus,

Tom. II.

li

uus,

(29) Lib. iv. cap. 50.

uus, ita nec quisquam redimit, nisi qui seruitutem apud alterum seruit. Igitur si infantes liberi nascerentur, nulliusque peccati seruituti obnoxii; redempti a Christo non essent, quum redemptione opus non habeant: nec proinde Christus omnium redemptor esset.

Idem hoc argumentum pressius Augustinus versat (30). Nouimus tamen plurima his etiam rationibus responsa olim a Pelagianis data, hodie a Remonstrantibus, Socinianis, et Deistis reproducta. Sed et illa ex parte confutauimus; et in perpetuum diluta habemus in SS. Doctorum Augustini et Thomae scriptis. Lectores illic transmittimus (31), quoniam breues esse volumus.

### CAPVT XVIII.

*Qui fuerint haereticorum aduersus veritatem hanc conatus exhibit. Eosdem dissoluit.*

Carprocratis gregales ac discipulos primos fuisse, qui ob Adami praeuaricationem posteros infectos peccato, et damnationi obnoxios nasci negarunt, Clemens Alexandrinus scribit (1). Alii Originem Adamantium hunc ipsum errorem primum excogitasse opinantur, ac proinde Pelagianismi oua fouisse dicunt: quamquam admissit ille baptrismatis gratiam ad abluenda peccata in superiori vita, priusquam anima dilaberetur in ergastulum carnis, perpetrata. At Ruffinum Presbyterum primitus hoc fidei Christianae fundamentum subuerrere fuisse molitum, Recentior quidam e familia Dominicanorum Theologus ex actis Carthaginensis Concilii aduersus Coelestium habiti, et ex Mario Mercatore colligi adseuerat (2). Quis vero Ruffinus hic Presbyter fuit? Fortassis Aquileiensis ille acerrimus Origenis defensor, in quem stilum Hieronymus vertit, quod eum irritarat? Aut alter natione Syrus, cuius apud Marium Mercatorem mentio? Garnerio, doctissimo quidem e Congregatione S. Mauri Monacho, Ruffinus Pelagii Praecursor, ac eiusdem in errore Magister, alius ab Aquileiensi visus est, quod eum origine Syrum Marius Mercator dixerit: contra Natali Alexandro, Bertio, aliisque plurimis persuasum est, Ruffinum Pelagii Magistrum et impulsorem, eundem illum esse

(30) Lib. 1. de peccat. mer. cap. 21.

(31) Locis saepius laudatis.

(1) In III. Stromateon.

(2) F. Nicolaus Augustinus Chigeani Exercit. VII. de primo homine.

se Aquileiensem Presbyterum, qui ob immodicum Origenis amorem, susceptramque defensionem, tantam sibi et in Oriente, et in Occidente conflauit inuidiam. Neque scriptoribus his quidquam negotii accessit, quod Ruffinum natione Syrum Mercator dixerit: norunt siquidem, peruulgarum, vsuque receptum esse, non a natali solo tantum, sed ab incolatus, seu diurnae habitationis loco homines quandoque adpellari. Sic Christus Dominus, Bethleemi licet natus, Nazaraeus tamen frequentissime in Euangelio dictus legitur, quod Nazareth Gallilaeae diurnae habitauerit. Sic (vt ex ipsa historia exemplum ducant) et Faustus Reiensis Episcopus Gallus dictus est, quod tametsi in Britania, seu Anglia natus, plurimos tamen vitae suae annos in Galliis transegisset. Vnde vocatum a Mario Mercatore Ruffinum natione Syrum, quod septem et viginti annis in Syria et Palaestina vixerit, colligunt; quamquam obscurum aliquod Aquileiense Dioeceseos oppidum natale solum eius fuerit. Fuere in hac sententia, praeter illos, quos paulo ante Theologos laudauimus, Cardinalis Henricus Norisius, Pagius, Huetius, quorum in re litteraria auctoritas nos trahit; vt id ipsum sentiamus, atque momenta, quibus fulciuntur probemus. Ast eadem conferre non vacat.

Hunc ipsum Ruffini errorem adoptauit insuper Pelagius, opinatus, Adamum exemplo tantum suis posteris obfuisse, non transfusione. Eundem acriter propugnarunt, latiusque propagauerunt Coelestius et Iulianus, qui pro Pelagiana haeresi propaganda multum operis et laboris contulerunt. In eodem haesit luto Theodorus Mopsuestenus, et quinque aduersus S. Augustinum libris editis id probare nisus est, Adamum peccando mortalem non esse factum, neque Dei Verbum naturam nostram adsumsisse culpae originariae delendae gratia. Referunt hoc Marius (3), et Norisius (4). Exinctum ferme errorem ab inferis reuocarunt medio saeculo septimo Armeni; initio octauae Albanenses; tertio decimo decurrente Albigenes; quartodecimo autem Beguinae, ac Beguardi. Tandem Sociniani, in quos, velut in sentinam veterum omnium errorum, pestifera confluit colluies, Pelagii errorem adriperunt; e quorum numero tamquam primicerii Hulricus Zuinglius, et Ioannes Vestphalus Lutherani recensentur.

Aduersus infensissimos omnes hos hostes inuictissime pugnatum est validissimis, quae per rotum procedens. caput sparsa sunt, argu-

li 2

gu-

(3) In Commonit.

(4) De Haer. Pelag. lib. I. cap. 9.